cu gratiarum actione susceptis cibum sumpserunt
Et post corporis refectionem spiritalis col=
loquii dapibus animas suas pascere stu=
duerunt. Detinuit autem eos beatus gallus ali=
quantis secum diebus. et caritatis intuitu ac
humanitatis fouit obsequio. Narrauit quoque
de eximii patre. beato videlicet columbano
quod tercia relacione didicerat. Deinde osculo
lo pacis oblato dimisit eos. Et illi bene=
dictione tanti patris armati ad sua remearunt.

29 Nec multo post cum iam bonorum omnium
auctor et propagator athletam suum
de mundi agone sublatum premiorum laureis
vellet perhennibus adornare. willimarus
presbiter veniens ad cellam viri sancti.
rogauit eum ut secum egrederetur ad castrum. Et
ut obtineret quod voluit. huiusmodi voce fle=
bili querimoniam summissius explicauit. Cur
inquiens o pater me qui tuorum monitis
dictorum innitor quasi despectum dereliquisti.
et doctrine tue salutaribus institutis au=
ditorem fraudasti beniuolum. Cui hanc
abiectionem ascribere possum: nisi pec=
catorum meorum fetoribus. Nisi enim vita mea
tuo displiceret iudicio. amabili me edifica=
cionis tue non priuares solacio. Nunc ergo
noli nos precibus nostris abicere. sed dominum precatus
mandatis. viam veritatis desiderantibus
aperi. et solite nobis benignitatis munus
impende. Motus igitur hoc supplicantis alloquio
pietatis amator. descendit cum illo et venerunt
ad castrum. Vocata autem multitudine in die
sollempni scilicet sancti michahelis. vir sanctus
predicacionis dulcedine auditorum corda refecit
Et tanta quod diuersi sapiencie luce vestiuit.
ut summa omnium gratulatione auditus et plena
cunctorum veneracione sit honoratus. Biduo
itaque ibidem ducto. tercia die febre correptus.
tantum in breui eius violencia depressus est. ut nec
ad cellam redire. nec cibi sustentaculum potu=
isset percipere. Cumque hac infirmitate per dies
quatuordecim laborasset. die sextodecimo
mensis octobris. idest xvii kalendas noue=
bris. expletis nonaginta quinque annis sue eta=
tis in senectute bona huius vite liberatus
ergastulo. animam meritis plenam felicibus
reddidit bonis in hesitanter perhennibus.

30 Cumque igitur audisset iohannes constanti=
ensis ecclesie presul. beatum gallum aput ar=
bonam infirmari. ascendens nauiculam.
potuum et ciborum ea secum genera tulit. que
infirmitate laboranti nouerat congruere.
ut videlicet sua visitacione fidissimum refoueret
amicum. Cumque portui appropinquaret. audiuit
in domo presbiteri planctum magnum circa funus
viri dei celebrari. et interrogauit quanti
esset causa ploratus. Audiens autem gallum
venerabilem fi(r)missimum sue familiari=
tatis custodem de huius seculi emigrasse
periculis. misit se in aqua. Neque enim po=
terat propter nimium dolorem sustinere.
donec nauicula litus attingeret. Descen=
dens ergo cum hiis qui secum venerant. intrauit
domum presbiteri lugubri voce et corporis
gestu merorem cordis insinuans. Inuenit
autem corpus viri sancti iam inuolutum.
et in loculo repositum. Aperiensque sarcofagum
et carissime amici cadauer inspiciens.
amariores cum hac voce lacrimas dedit.
Heu heu pie amice. heu doctor egregie.
cur me de domo patris eductum in hiis partibus
quasi orphanum dimisisti. Et confidenciam
meam qua de tuis consiliis plurimum pre=
sumebam. immatura morte rapuisti. Tibi
quidem in perceptione premii quod tam ardenter
desiderabas hec tua mors est fructuosa.
nobis autem in tot mundialium perturbacionum
procellis laborantibus. multipliciter est luctuosa
Sed qui de vite corporalis interrupcione
dolemus. de anime immortalis libertate
gaudere debemus. certi quia oracionibus
non desinas adiuuare. quos consilio et ex=
emplis roborare consueueras. Inter hec va
presbiter eum ut pergeret monuit. et pro requie
defuncti ambiciosius dominum precaretur. Intra=
uerunt itaque ecclesiam. et episcopus pacissimo
salutares hostias immolauit. Completo confinito
autem fraterne commemoracionis obsequio.
respiciens post tergum. vidit fossam in
qua suum corpus humare volebant. Accepta
ergo cruce et hiis que exequiis exhibetur. intra=
uerunt domum. volentes thesaurum pre=
ciosi corporis ad locum sepulchri deducere.
Cumque archam qua claudebatur cadauer
feretro impositam. ad fossam sepulture
conarentur deferre. nullis viribus usque
potuit commoueri. Quod noui genus
miraculi. dum mutuis mirando colloquiis
retractarent. iohannes episcopus dixit. In re=
ritate cognosco. hanc sepulchri sedem pri=
mo gallo non placere. Et iussit presbitero ut
duos equos inuenisset indomitos et fa=
ceret introduci. Quod cum factum esset. strauerunt
eos cum magno labore. et ad locum
ubi corpus iacebat duxerunt. Et episcopus cum
clero huiuscemodi oracionem dedit. Deus
qui potentiam maiestatis tue ubique totus
es: pro cuius amore vir iste reliquit pa=
triam suam. ut precepta tua conseruaret. fac
corpus eius ab hiis equis indomitis ferri
in locum quem tua voluntas meritis ipsius
prouidit. Cumque finita esset oracio cuncti qui
aderant amen responderunt.

De morte sancti galli

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 610, p. p.%2056 – Computistic Texts and Tables; Lives of Saints and Martyrs; Casus sancti Galli etc. (http://www.e-codices.ch/en/csg/0610/p.%2056)